



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. X. Quanta nihilominus plurimorum hominum de Deo sit diffidentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

CAPVT X.

Quanta nihilominus plurimorum hominum
de Deo sit diffidentia.

Nil crebrius Christus, nil & acerbius in suis discipulis castigavit quam diffidentiam. Hinc illos modice fidei, tardos corde, generationem incredulam, peruersam appellavit sapiens: varia tentavit optimus magister, ut sui dedicerent diffidentiam. Quod enim ille Domini sopor in navigio, illa panum penuria, quod examen super commeatu in solitudinem pervehendo, quod illa Petri in aquis fluctuatio spectabat? diffidentia proponebatur dediscenda; & hoc sibi volunt voces illae: Modice fidei, quare dubitasti? et perinde si dixisset sapientissimus doctor: Ergone vos tam indociles, ut primam hanc summam necessariam institutionem non possitis capere?

In varias sese formas diffundit diffidentia. Sunt qui Bideo diffidunt Deo, quod putent illum suis hostibus nimium indulgere, & laxare omnes habenas: Alii diffidunt se impetraturos a Deo quod rogant, praesertim si ob admilla olim peccata, conscientiae angoribus urgeantur, metuuntque ne Deus veniam negarit etiam petentibus: Alii Deo diffidunt, ne forte subtrahat victui necessaria. Triplex hoc diffidentiae genus plurimos hominum rectissimam fraude a Deo abducit, & praecipitat. Hoc autem diffidentiae vitium tanto magis noxium, quanto minus notum est. Quod si originem huius vitii libeat indagare, reperiemus, ex eo etiam nasci diffidentiam, quod quis ipse sibi nimium fidat. Quam hoc & frequens & periculosum sit, sibi ipsi fidere, antequam ad alia progrediamur, hic exponendum.

§. I.

Salomon hanc sui fiduciam graviter perstringens: *Qui confidit in corde suo, inquit, stultus est. Ideo toties monet: Ne imitaris prudentia tua: Ne sis sapiens apud temetipsum.* Nimium prima stultitiae rudimenta sunt, se sapientem credere. Quis autem ille Phoenix est, qui res suas non aestimet, qui parvi pendat, qui non aut vires, aut formam, aut opes, aut eruditionem, aut prudentiam suam subinde blandis oculis circumspiciat? sed suo damno. Nam, *qui confidit in cogitationibus suis, impietate agit.* Deus, ut hanc nobis impietatem extorqueat, saepe nos graviter castigat, aut indociles disciplinam suam penitus excludit.

Videte mihi Goliathum tantopere sibi praesidentem, quasi uno spiritu dissaturus sit totos exercitus. Cumque vidisset contra se progredientem pastoritium juvenem David, acerbo scommate tantillum adversarium contemnens: Veni, aiebat, ut discerpam te, in pabulum bestiis obijciendum. Sed quam haec sui fidentia compressa est! quis enim ita lapidem rexit, ut rectissimam Goliathi frontem peteret, nisi Dei certissima manus? quae fastuosam illam turrim, non balistis aut catapultis immanibus, sed lapillo unico dejecit.

Holofernes aequè praesidens sibi, tanti non erat Deo, ut virili dextra caderet, omnem illius arrogantiam femina triumphavit. Chaldaeus monarcha Nabuchodonosor in palatio suo obambulans: *Nome hac est, aiebat, Babilon magna quam edificavi in domum regni, in robore fortitudinis meae, & in gloria decoris mei.* An non urbs indyca est? ego illius conditor sum. O mi Nabuchodonosor, antehac centena tibi secula in regium prandium cenamque apponi solebant, deinceps apponetur unicum & valde insuetum, dum discas rectius & cogitare & loqui. Ut verò tibi sapiet jentaculum bouum? faenum tamdiu comedes, dum sapere discas, & stylum veritas. Balneum tuum gelidus ros erit, Attalica vestis capilli tui, pro anulis ungues avium habebis. *Cumque sermo ad-*

A huc esset in ore regis vox desolato ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum transibit a te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis feris erit habitatio tua: sanum quasi vos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud. Ita nimia sui fidentia hominem in feram mutavit. Sed audi ut e ferà in hominem remigravit, & Deo non sibi fidere didicerit. *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad caelum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi: quia potestas ejus, potestas sempiterna, & regnum ejus in generatione & generatione. Et omnes habitatores terre apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus celi, quam in habitatoribus terra: non est qui resistat manus ejus, & dicat ei: Quare fecisti?*

Grande malum tui confidentia, quae & Apostolorum Sui confidentia in principem in praepos egi. O Petre cur fles canente gallo? antea flere decuisset, cum Dominus singulis valediceret, cum maestissimam mortis mentionem super cenà injiceret, hic sanè decorat fuisse lacrymas. At sui confidentia tunc omnes extinxit lacrymas, pro lacrymis ingens audita pollicitatio: *Etiamsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Itane, Nunquam? pauculae horae ibunt, & omne hoc promissum a solâ sui confidentia extortum corruet. Cenlet omnino Basilus neminem superari ab ullâ tentatione, nisi sibi plus æquo fidentem. Qui autem sibi ferò diffidit, nihil unquam agere instituit, quin prius divinum subsidium imploret.

Ambrosius olim Augustini matri Monica contra filium Augustinum hoc potissimum queritur, fidere illum ingenio suo. Nec prius Augustinus sapuit quam hanc sui confidentiam correxit. Hoc & ipse de se fallus. *Credebam, inquit, me sufficere per me, nec posiciebam quoniam tu regebas me, donec aliquantulum elongasti a me, & cecidi statim in me, & vidi & cognovi.*

Sicut autem ingenio aut prudentia, vel arti suae, sic & viribus suis fidere vitiosum est. Maximus Imp. tantæ molis & roboris fuit (Capitolinus refert) ut uxoris armilla pro anulo sit usus. Huic unus aliquis in theatro graecos hos verficulos occinuit:

*Elephas grandis est, & occiditur,
Leo fortis est, & occiditur,
Tigris horribilis est, & occiditur;
Cave multos, si singulos non times.*

Nemo robori suo, nemo arti, nemo stemmati & divitiis, nemo eruditioni & sapientiae fidat, est cum hæc omnia levi statu corrunt. *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives in divitiis suis.*

§. II.

Sed non tantum non in seipso ullus, sed nec in ullo altero spem & fiduciam figat. Hieremias vates vociferatur: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus.* Hic acutè Origenes, explicans illud: *Maledictus homo qui pendet in ligno.* Existimo, inquit, hanc eandem esse sententiam cum illa: *Maledictus homo qui confidit in homine.* E ligno namque pendere, idem est quod spem suam ex homine, velut fragili trunco, suspensam habere.

Consueverunt venatores, ut elephantem capiant, tales instruere insidias. Arborem, cui elephas inniti solet capiendò somno, dissecant in imo, sed erectam nihilominus, velut sanam & integram relinquunt. Elephas cum ex more venit accubitus, succise innititur, sic una & arbor & bestia magno impetu corrunt. Sunt innumeri qui arbores sibi feligant, quibus innitantur: hic Principi laboriosissimè studet placere, iste opulenti praefulis gratiam exambit, ille in magnatis amicitiam se insinuat, sunt qui aliorum benevolentiam largitione confectentur,

tur, alii aliis modis captant favorem. O miser! vos ipsos fallitis, & in vestrum hæc exitium paratis. Arbores, quibus inmixtos cogitatis, jam pridem occulto vulnere succisæ sunt; cum minime putaveritis, subito ruituræ, & cum iis omnes confidentiæ vestræ. Augustinus fallaciam hanc monstrans: *Multi, ait, de amicis potentioribus præsumperunt: ceciderunt illi de quibus præsumperunt, & involverunt eos, qui de se præsumperant.*

In psal. 131.
circa mod.

Jonas cap. 4. Jonas propheta fecit sibi metum umbraculum, & sedebat subter illud in umbra: & lætatus est Jonas super hederam. Latitiam magnam. O latitiam, & brevem, & inane! Nam hederacea hæc diæta duplicem hostem habuit, & Solem, & vermem. Ita uno die omnis hæc umbratilis voluptas evanuit. Orbem mihi considera, & plenum reperies his talibus umbraculis, florent hæc aliquanto tempore, sed proximum semper exitium huic hederæ imminet à diversis vermibus. Humanis favoribus niti, heu quam commune & pervagatum est vitium! Ucinam non etiam viri religiosi suæ hinc dignitatis oblivisci vellent, & aliorum sibi gratiam & favorem rectis studiis colligere. Umbratica hæc tuguriola sunt, quæ varii vermes invadunt, obreftationis, calumniæ, mortis denique atrodunt, dissipant, exedunt. Est famulus cui in suo domino plurimum fiducia; brevi mors dominum rapit, & jam totum famuli umbraculum ubi est? Alius patrono nititur opulento ac potente; patronus moritur, aut ipsius opes ac potentia imminuuntur, ita jam huius etiam hederæ exaruit. Filii subinde patrum auctoritate, officii, dignitate præclare se defensores credunt; subito Deus aufert hoc umbraculum, jamque miseri contra quam sperant, uruntur à sole, quia perit domus hederacea. Sic ille Assueri oculus Aman, cognatis & uxori miram gratulationem narravit, non videri sibi quidquam ad omnem felicitatem deesse, apud regem præter se neminem æquè gratiosum esse, mascula insuper prole decem filiorum, & opum abundantia se misericordie beari. O pulchrum umbraculum, sed brevi à sole & vermibus scelerè consumendum! Et Aman & omnes Amanis filii in altam crucem sunt acti. Hoc Mausolæum habuit tam præfidens sibi felicitas.

§. III.

Homines, Dei opulentia, favore, ac potentia innitendum est, non hominum. Contentè vociferatur David: Nolite considerare in principibus. Cur obsecro, mi optime David, iis non confidamus, qui plurimum inter nos valent potentia? Causam mox addidit psalter: In filius hominum, in quibus non est salus. Hoc ipso in nullo nec potentissimorum regum, nec invictissimorum Cæsarum fiducia reponenda, quia & ipsi homines sunt. Quid enim, o homo, confidis homini in quo non est salus? Exibit spiritus ejus & revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cujus Deus Jacob adiutor ejus, spes ejus in Domino deo ipsius. Spem in homine, umbram esse ait sacra pagina: Habentes fiduciam in umbra Ægypti. Quid fugacius, quid inconstantius & fallacius umbræ? talis est fiducia in homine collocata. Multi requirunt faciem principis, & judicium à Domino egreditur singulorum.

Jacob è Mesopotamiâ redux in Chanaan, cum obvium haberet fratrem germanum Elau quadringentis viris præparatum, timuit sibi velut ab hostili exercitu, & divinam opem sedulo imploravit. Adfuit vocanti Deus, & amplissimum auxilium est pollicitus, eum tamen claudicantem à se dimisit. Et quod istud, inquis, subsidii aut providentiæ genus? Auxilium implorat Jacob, & coxâ debilis dimittitur. Hocce est manum commodare, claudum efficere? Ita profusus, hoc erat juvare. Nam est cum & vulnera sanant, & jactura in tempore lucrum est, & pleraque sunt in quibus bono nostro vincimur. Et ideo Deus Jacobum à se sic fractum remisit, ut & ille & per illum nos omnes disceremus, non nobis

Soli Deo
fidendum.

A aut nostris, nec etiam alienis viribus fidere, sed Dei solius potentia & bonitate niti. Sed quia sanus valetudini, firmus robori, literatus eruditioni, potens auro, sapiens ingenio fudit, quia tenuis divite, imbecillus multipotente fulciri sperat, ideo frequenter Deus hæc talia sapientissimè aufert; ut cum falca, quibus nitebamur, defuerint, niti discamus uno soloque Deo.

Gedeon, dux belli, viginti duobus millibus virorum missionem dedit, trecentis solum retentis: scienim Deus jussu: Ne gloriatur contra me Israël, & dicat: Meis viribus liberatus sum. Benadad rex Syrus Achabo regi Israël imbecillitatem opprobrians, minabatur interitum, sed hæc minæ fuerunt ex pelvi. Nam et si Benadad triginta duos reges belli socios secum traxerit, equitum etiam & falcatorum curruum incredibilem numerum, primo tamen prælio fufus fugatusque est: confictu altero centum millia Syrorum die unica ceciderunt: aliorum è prælio diffugientium septem millia ruente muro in Aphec obruti sunt. Hoc habet Benadad; ear nunc & sibi suisque fidat viribus. Injuriam non levi irogat Deo, qui ad humanam potius opem quam ad divinam oculos circumfert, pliusque ab exili rivulo quam ab immenso sperat oceano.

Optimus rex Asa (cujus nunquam sine miseratione meminimus) fiducia in Deum magnâ fuit, si modo etiam fuisset constante. Illam cerè Deus sic remuneratus est, ut decies centena millia militum, quos Æthiopiarum rex sub signis habuerat, illustrissimâ victoriâ profligavit. Sed heu post tot annos præclare actos, optimum hunc regem hæc una in humanas vires fiducia perdidit. Sic aperit propheta: Quia habuisti, ait, fiduciam in rege Syria, & non in Domino deo tuo, idcirco evasit Syria regis exercitus de manu tuâ. Longa inde malorum series secuta est.

Eximie Augustinus: Odisti, ait, observantes vanitates, si-
pervacuè. Ego qui non observo vanitatem in Domino sperantem. Speras in pecuniâ, observas vanitatem, speras in honore & sublimitate aliquâ potestatis humane, observas vanitatem: in hiis omnibus cum speras, aut tu exspiras, & ea hic dimittis; aut cum vivis, omnia pereunt, & in spe tuâ deficiunt. Ingens omnino languor diffidentiam comitatur, ac omnium perierum nausea & neglectus: ubi diffidentia, ibi æternus naufragii metus, æternæ tempestates ac jactationes. Nimirum qui sibi aut hominum alteri confidit, in arenâ ædificium struit: in rupe fabricatur, qui Deo fundatur.

§. IV.

Sed dixeris, usu nos quotidiano doceri, sic sua cuique negotia succedere, prout is dives, industrius, potens, exercitatus, ac vaser fuerit. Argumento sit, res ante annos non multos gesta. Vir magni nominis, & Catholice institutionis captivus tenebatur à principe novitiæ religionis, apud quem ille de divinâ providentiâ cepit diffidere. Non diu hoc tulit morolus auditor; mox enim amarum subridens, & manum capulo admoveans: Hæc, inquit, providentiâ nitendum est. Hic suum illud rex Alphonsus merito exclamarit: Vox bovis & non hominis. Nam eundem in modum locutos meminimus quosdam è Deorum cultoribus, Antoninus imperator (uti Dion Niceus memorat) cum pecuniam multam partim à plebe, partim etiam à senatoribus vi atque minis extorant profundis, & jurgatus à matre, quæ aliquam pecuniæ partem aliò conferri voluisset: Desine, inquit, de numis esse sollicita, mater; & simul strictum gladium ostendens: Quam diu, ait, habebimus hoc festum, tam diu nobis non deerit argentum. Verè, vox bovis, non hominis! aut profecto non bene sani. Aliter nos docuit Christus, Deo fidendum, non ferro, non viribus, sed nec formæ aut doctrinæ, aut ulli bono tam fragili. Nec est ferè quod tantopere displiceat Deo, quam tanta mortalium diffidentia, quam Deus etiam in amicissimis sibi graviter punivit.

Moses,

§. V.

Moses, vir Deo longè charissimus, quia tamen diffidentia bis deliquit, morte hanc noxam luit, nec fertilitas illas terras nisi eminus videre permisisse ait. Primum Moïsis diffidentia fuit, cum ille velut sollicitus paterfamilias macelli rationes poneret, diceretque: *Sextentis millia pedum hujus populi sunt, & tu dicis: Dabo eis esum carum mense integro. Numquid ovium & boum multitudo cadetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient?* O Moïses, hoc est cum sua diffidentia rationes ponere, non cum providentia divina: *Numquid manus Domini invalida est?* Cautiorem hoc reddere debuisset Moïsen, sed rudit non multùm abfimilis priori diffidentia. Nam populo ad ripem congregato exclamavit Moïses: *Num de petra à hac vobis aquam poterimus ejicere?* Quamptimum vox caelo ruit, diffidentia pœnam denuntians: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetur hos populos in terram quam dabo eis.* Quocirca Deus Moïsi jam jam morituro fertilissimam regionem illam eminus è montis vertice ostendit, sed mox quasi insultans

Vidisti, inquit, oculis tuis, & non transibis ad illam. Tanti refert hanc diffidentia pestem ex animo penitus eliminari, in quam Deus (utpote honori suo maximè adversariam) tam severè solet animadvertere.

At verò ipse Israël's populus longè gravissimè peccavit, & quidem sæpius repetitâ diffidentia. Nec eam ulla prodigia aut miracula fatis corrigere poterunt: si qui non statim oculis cernere aut manibus palpare licuit, mox Judæi in pristinum telapsum diffidentiam, id fieri posse negarunt: eodè etiam diffidentia illorum progressa est, ut Deum continuis querelis aut oblivionis arguerent aut incuria. Et quàm improbi clamor clamores illi? *Vitam mortui esseamus in Ægypto, & non in hac vastâ solitudine? Vitam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & xcores ac liberi nostri ducantur captivi. Nômè melius est reverti in Ægyptum? Dixerimusque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.* Ita, & improbi, quasi non ubique pereundi sit locus.

Sint fortan qui mirentur, eccur Deus populo suo
non tantum non vinum dederit, sed & aquam insuper
permisit desse? Sic expianda erat diffidentia. Eccur
in eundem hunc populum venenos igneos serpentes
immisit, qui non tantum tot vulneraret, sed & neca-
runt? Ob diffidentiam id factum. Cur unico nonnun-
quam prælio viginti aut triginta millia hominum in-
terfici non vetuit? Ob hanc ipsam diffidentiam. Cur
hostes potentissimos, qui nunquam satis debellaren-
tur, objecit ob eandem hanc diffidentiam, quam in
querulo hoc populo nullis suppliciiis satis potuit ex-
tinguere, quin identidem renaceretur. Apertè tandem
Deus ipse prorupit in has querelas: *Vsquequo detrahe-
mini populo isto? quosque non credent mihi in omnibus si-
gnis que feci coram eis? Vsquequo multum hac pessima mi-
ratur contra me? Feriam igitur eos pestilentia, atque con-
sumam.* Interposuit hic quidem Moyses suas partes, &
precatorem se præbuit, nihilominus decretum divi-
ni hoc fuit: *Sicut locuti estis audiente me sic faciam vobis.*
Parrulos vestros, de quibus dixistis, quod præ eade hostibus forent,
introducami, ut videam terram que vobis displicuit: vestra ca-
*damvera jacebant in solitudine. Non fecerunt caelestes mi-
næ: E tot centenis millibus hominum, quos Deus ex*
Egypto alleruerat, nemo unns felices terras vel oculis
attingit, omnibus ad unum in ipsa solitudine extinctis.
Soli Caleb & Josue, qui spem potiunde terra non
abjecerant, terrâ illâ potiti sunt. Ita minime puniendi
sunt diffidentia. Post hæc omnia tamen, nondum om-
nem desierunt diffidentiam, quam etiam in transiit-
tendo Jordane reperierunt.

Regum Facti memorant, Sicelegurbe ab hostibus *1. Reg. c. 30.*
succensa, & omnium uxoribus ac liberis captivis *vers. 6.*
abductis, tantam rerum omnium desperationem fuisse, *& seq.*
ut populus Davidē regem lapidibus jam jam moliretur
obtrudere: nec res, nec spes superesse ulli videbatur. At
quantō major omnium diffidentia, tantō erectior Da-
vidis fuit fiducia: Confortatus est David in Domino
Deo suo. Ita in spem maximam vocatus David, cum
quadringentis viis insecutus hostem, quem securissimē
epulante inveniens, tantā cæde aggressus est, ut ab
unius diei vespere, ad usque alterum, hoc unum cum
suis ageret, mactare hostes. Ita non tantum prædā
omnem, quam Amalecites abduxerant, recuperavit,
nec unico quidem ē suis desiderato, sed alia super op-
missima spolia, velut spēs, recuperatæ prædæ adjun-
xit. En, quam ratione spes superanda, & in rebus etiam
desperatissimis Deo tamen minime diffidendum.

Prædixerat olim Elifæus in summâ annone caritate, brevi maximam fore frumenti vilitatem. Excepit vocem dux quipiam regis Samariæ, & per diffidentiam irridens: *Etiamsi, ait, Dominus fecerit cataractas in celo* (4. Reg. c. 7. vers. 19.) *pluerit frumento) nunquid poteris fieri quod loqueris?* Cui Elifæus: *Videbis, inquit, oculis tuis, & iude non comedes.* Evenit omnino quod vates prædixerat. Nam ille dux regis ad urbis portam à turbâ compressus, & conculcatus est. Nimium hoc præmium debebatur diffidentia. Verè, *cogitationes mortalium timide, & incerta providentia non sap. cap. 9. fra.* Deus autem aquè certò scit omnia, tam futura, quam præsentia, & præterita. Nota est enim illi operis sui series: omnium ei rerum per manus suis iuratum scientia in aperto semper est: nobis ex addito subit. Et quæ repentina putamus, illi ab æterno adiacent provisa. Hinc Ecclesiæ preces ille: *Deus, cuius providentia in sui dispositione non fallitur.* Quia verò hæc providentia abyssi *Domin. 7. post ven.* suis longè abditissima, multi tamen vident tot flagitia impune abire, & à Deo dissimulari, optimum quemque tot ærumnis acriter flagellari, in diffidentia voraginem se præcipitant, perinde ac si Deus humanis se rebus non misceret, cum inter probos improbòque sæpe nullum pateat discrimen. Ecclesiastes: *Universa,* inquit, *aque Eccli. cap. 9. eveniunt iusto & impio, bono & malo; mundo & immundo; vers. 2. immolanti victimas & sacrificia deficientes.* Hæc nobis temere & casu fieri videntur. In quo idem nobis evenit quod ei qui horologium in turti considerat, hic gnomonem quidem, seu indicem horologii videt, ipsum horologium, & artificiosam rotularum constructionem non videt. Paganus, infans sit, aut fatuus, qui credat gnomonem seipso moveri, idque non consulto sed casu. Homines civici probè norunt, indicem illum à seipso non circumduci, sed ponè parietem latere horologium. Ita prorsus gubernatio Dei occulta, sed ordinatissima, indicem illius in rebus omnibus videmus, sed admirabile divinæ providentiæ artificium nequaquam cernimus. Hinc fatua plurimorum cogitationes, quibus pleraque omnia casu videntur evenire. Aliter sentiunt qui altius sapiunt; nullam in rebus fortunam agnoscunt, cum sciant omnia Dei manu providentissimè gubernari. Ita Gregorius Nazianzenus: *Ego quidem, in Greg. Naz. rum nostrarum experts rationis esse.* *re. Pils. 63.*

Hoc divinae providentiae horologium cuius hominum suas omnes horas ad minima quævis punctula descriptas in se continet. Rex Babylonis Balthazar, in opulentissimâ cenâ jam remulentus manum vidit adversus pariete ignotus characteres formantem. Expalluit ad hanc scripturam, & contremuit. Quid vides, ô Rex? quid turbaris? cuius est hæc manus? Si nora est, quomodo ignotus scriba? Si nondum aur illam aut istum noris, cur adeò formidas? Consultit infelix omnes urbis sacerdotes.

nisi tu prius ab illo. Hoc & tu mi Christiane cogites: neminem deserit Deus nisi desertus. Si lapsisset Saul, id quod Mauritius Imperator, dixisset: Domine hic potius me punias quam ibi. Sic, ô Christiane, ne in angustis ad magos, Dei inimicos curre, ne animum desponde, ne Deo diffide; tu potius ad Dei amicos, ad cælestes Angelos, ad matrem Dei, ad crucifixi pedes confuge.

h. 1. c. 14. hic tuum est asyllum, hic salus tua, hic illud Davidis & Jobi vociferare: Ego autem semper sperabo, & adiciam super omnem laudem tuam: Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Ille plurimorum intolerabilis & error & abusus est, ut prius ad humana secula auxilia convertantur, quam ad divina, neque hæc, nisi illis omnibus frustra tentatis, rebusque jam planè depositis, censeant advocanda. Quo sane fit, ut humana remedia ordine plerumque præposito adhibita, vindicant Deo, incallum nobis eant.

Sed quæras fortè, qui Deus permittat tot homines maleficis artibus devinciri, & necari? Ne mirare: summa in Deum dissidentia etiam supplicii genus meretur. Multis vix alius medicus, quam magus, nec alius pharmacopæus, quam diabolus quaeritur. Jure Deus per hos punit, per quos tam variè offenditur. Paulinus memorat Ambrosio Episcopo nullum unquam magum nocere potuisse ob illius firmissimam in Deum fiduciam. Mortuam namque Justina Imperatrice Ariana, cum Innocentius magus in quæstionem raperetur, inter tormenta falsus est, Angelum Ambrosii custodem, suum esse tortorem. Nam vivam Imperatricem se nocte intempestâ sub templi tectum ascendisse, & sacrificasse eo fine, ut Ambrosium infamem invisumque faceret plebi, nihilominus amorem in hunc virum & fidem Catholicam magis ac magis effloruisse: missos etiam à se Dæmones qui Ambrosium necarent, sed his ultra adium fores progredi non licuisse. En, quibus excubiis Deus illos defendat, qui omnem in se solo collocant fiduciam. Et plerumque qualis est hominis in Deum confidentia, talis est Dei in hominem liberalitas. Sed heu quam in Orbe rari sunt, qui Deo fident toto animo! mores hominum considera, & plurimum ubique reperies diffidentia, quæ quotannis pæne eadem redit ac reviviscit, & inde tam vani timores. Jam fruges metuunt nivibus suffocandas, aut in herbâ neandas à siccitate, jam pluvius mergendas, aut grandine sternendas, vel fulmine exurendas: Jam aliunde vexandam annonam timent: Jam verò ne valetudini, aut incertis casibus desint necessaria, formidant: Jam ad rumores bellicos consternantur, & spem omnem abiciunt: Jam ad funerum, aut aliarum cladum nuntios penitus exanimantur; in quocunque demum laboris aliquid ac difficultatis sentiunt, de eo mox diffidunt, & cum animum gerant cæcum, manus semper oculatas habent, id credunt quod vident. Et hoc inde, quia de Dei bonitate ac potentiâ parum rectè parùmve liberaliter sentiunt: hinc illa animi de rerum temporariarum prospectu nunquam secuta, semper diffidens cura. Vera in Deum confidentia clavis est ad ætatum, è quo Deus cælestes divitias solet egentibus ad votum impertiri. Deo diffidere, aut principium est plurimorum scelerum, aut finis.

CAPVT XI.

E cognitione divine Providentiæ magnam in Deum fiduciam, è fiducia veram cum Deo divinæque voluntate concordiam nasci.

Sicut in auræ torque anulus ex anulo pender, sic è notitiâ divinæ providentiæ nascitur fidentia, ex hac facillimè sequitur humanæ voluntatis cum divinâ conformatio. Da mihi hominem, qui Dei providentiam

Tom. I.

A in omnibus agnoscat, & eique fidat, mox dabo, qui se divinæ voluntati exactissimè subijciat. Ita nos instruit Deus, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo. Et ut impleamur cognitione voluntatis ejus, in omni sapientiâ & intellectu spirituali. In Noëmo id totum liquidissimè videre est.

§. I.

Principio Noëmus de infinita Dei providentiâ instruitur erat. Ideo Deus fidelissimâ narratione voluntatis huic viro aperuit, in quem ulum arca, quam etiam longæ & lata, quamque alta esset fabricanda; quâ ratione omnis generis animantes in eam cogenda, quomodo suum singulis pabulum comportandum, quo denique modo in perfectam à se arcam cum septem conjunctissimis sibi hominibus ingrediendum foret: decretum enim esse universum hominum genus in aquis extinguere. Ex his Noëmus mirissimam Dei providentiâ addidit, in hac porrò tam exactè cognita summam reposuit fiduciam, quâ certissimo sibi persuasit, se cum suis inter Orbis funera servandum. Hac conceptâ fiduciâ, facillimum ei fuit, suam in divinâ voluntate constitutæ, omniâque ad perpendiculum divinæ voluntatis facere. Hinc illud amplissimum Noëmi encomium, Fecit Noë omnia quæ præceperat ei Deus. Hic observatu dignissimum, quod Noëmo cū suis arcam ingresso, Deus arce ostium foris clausit; quâ ratione clavem ad arcam referendam secum abstulisse dicendus est. Sed percontari libet, an non consultius fuisset, clavem illam Noëmo tradere, ut cluvione subsidente arcam ipsemet Noëmus referret egressum. Verum ideo Deus hanc clavem nulli committere, sed sibi voluit reservare, ut arca inclusi eadem manu educerentur, quâ fuerant introducti, utque non in alio ullo quam in suæ libertatis ac salutis auctore fiduciam collocarent.

C Hac ipsâ ratione Joseph Egypti Prorex, ut divinam providentiâ nosceret, tam admirandis casibus docendus erat: ubi providentiâ Dei in suos semper vigilantissimam nosse didicit, etiam fiduciâ fuit imbuendus. Ideo enim permisit Deus, ut Pharaonis pincerna tam officiosè rogatus interpretis sui meminisse veller, biennio tamen toto oblivisceretur, ut sic Joseph disceret non hominum favore niti, sed Dei solius, cui libertatem suam omnem acceptam referre deberet. Chrysostomus egregiè super hac re philosophatus: Considera, inquit, quomodo post restitutionem pincernæ duo anni præterierint. Oportebat enim expectari tempus opportunum, ut majori cum gloriâ inde educeretur. Si enim præfectus pincernarum ante somnia Pharaonis recordatus, auctoritate suâ eum liberasset, fortassis non tam perspicua fuisset alius ejus virtus. Nunc autem omnipotens & sapiens Deus, sciens sicut optimus artifex, quanto tempore debeat in igne aurum teneri, & iterum inde reduci: permittit ad tempus biennii præfectum pincernarum illius oblivisci, ut & tempus somniorum Pharaonis veniat, & compellente necessitate ipsâ, iustus ille in toto regno Pharaonia notus fiat. Hinc illa Josephi in divinam voluntatem tanta devotio, ut omnia quæ sibi contigerunt mala, in hanc unam referret: hinc illa nobilissima ad fratres oratio, quâ divinæ voluntatis arcanum explicans: Non vestro consilio, inquit, sed Dei Voluntate huc missus sum: hinc illa tam benigna parricidis fratribus data venia: Nolite timere, num ibid. c. 50. Dei possimus resistere voluntati & vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum. Nisi Joseph divinæ voluntatis secretum tam probè cognovisset, in crucem fratres rapi jussisset, non tot beneficiis prævenisset. Quod in Noëmo & Josepho fuit divinæ voluntatis studium, hoc in sanctissimis quibusque vitis est videre; de quovis illorum affirmari potest: Semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.

vers. 5.

Cec 2

§. II. Poly-